



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab Anno 313. Usque Ad Annum 361

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1758**

**VD18 90117778**

§. 42. S. Hilarius Exul.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66022](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66022)

suscipere persuadere conabantur, spem-  
 que Episcopalis Dignitatis faciebant; ipse  
 vero ne invitus ordinaretur, defuncta  
 uxore, ad secundas nuptias transit.  
 Tunc cum S. Epiphano ad S. Eusebium  
 in domo sua hospitantem invisenti vitam  
 suam narravit, annum ætatis septuagesi-  
 mum agebat. Exinde S. Eusebius bis ad-  
 huc solum, & exilium mutare coactus,  
 primo in Cappadociam, & inde in The-  
 baiden Ægypti, tertium sui Exilii locum.

Sæculum IV.  
A. C. 356.

Hier. script.  
Theod. III.  
c. 4.

## §. XLII.

*S. Hilarius Exul.*

Ecclesia Gallicana puritatem fidei con-  
 servabat ex Scriptura, & traditione,  
 nec confessionibus fidei in charta exara-  
 tis opus erat. Verum quidem quod Sa-  
 turninus Episcopus Arelatensis Arianis  
 faveret, cui arcta cum Ursacio, & Va-  
 lente necessitudo intercedebat; cœte-  
 rum, præterquam quod suspitione hære-  
 sis laboraret, vir erat ingenio, moribus-  
 que depravatis, iræ impotens, & ad fa-  
 ctiones pronus; propterea plerique Gal-  
 liæ Episcopi, quos inter velut stellas mi-  
 nores S. Hilarius Pictaviensis effulgebat,  
 a Communione Saturnini, Valentis, &  
 Ursacii se separarunt, aliis eorum Secta-  
 toribus tempus pœnitendi concedentes,  
 addita conditione, si hoc eorum Decre-

Hilar. de  
Syn. p. 348.  
edit. Paris.  
1605. Sever.  
Sulp. lib. 2.  
p. 416. 435.  
edit. varior.  
Hilar. I. in  
Const. init.  
p. 286.



Sæculum IV. tum a Confessoribus propter fidem exu-  
 A. C. 356. lantibus approbaretur. Attamen Satur-

nius, aliique suæ Sectæ effecerunt, ut  
 iidem Episcopi, a quibus fuerant con-  
 demnati, in Concilio, Biterris celebrato,  
 comparere tenerentur; ibi S. Hilarius  
 Hæresis fautores coram Episcopis con-  
 gregatis accusavit, rogans, ut in hanc  
 causam inquirerent; hæretici autem, ti-  
 mentes, ne publice confunderentur, eum

*ad Const. 3.* audiri vetuerunt. Saturninus confi-  
*nit.* ctam in Concilio gestorum relationem  
 ad Imperatorem Constantium transmissit,  
 &, quamvis S. Hilarius protestaretur, at-  
 que Cæsar Julianus, tunc in Gallia præ-  
 sens, rerum testis esset, Ariani, spreto  
 Cæsare, & Imperatore Constantio de-  
 cepto, mandatum impetrarunt, quo S. Hi-  
 larius in Phrygiam relegatus est. Obti-  
 nuerunt quoque, ut Rodanius Episcopus

*Sev. Sulp. 2.*  
*p. 412.*

*Hilar. in*  
*Const. 291.*  
*Sulp. Sev. 2.*  
*p. 436.*

Tolosanus illuc proscriberetur, cui est  
 tantum vigoris, ac S. Hilario non esset,  
 ejus tamen exemplo, & societate perfe-  
 veravit. Clerici Ecclesiæ Tolosanae fu-  
 stibus cæsi, Diaconi plumbatis contriti.  
 Episcopus Rodanius in sui Exilii loco in  
 Phrygia, sicut etiam Paulinus Trevirensis,  
 ad Superos abiit.

*Fortun. vit.*  
*lib. I.*

S. Hilarius Pictavii in Galliis nobilissi-  
 mis ortus Parentibus, maximo profectu  
 profanis litteris, præsertim eloquentiæ,  
 incubuit, Quintiliani stilum imitatus,  
 cum



cum esset adhuc Paganus, nam matura <sup>Sæculum IV.</sup>  
 jam ætate Christianam Religionem susce- <sup>A.C. 356.</sup>  
 pit; quibus argumentis ad conversionem <sup>Hier. ep.</sup>  
 impulsus sit, ipsemet narrat in hunc mo- <sup>84.</sup>  
 dum: *Cum perpenderem, humanis quidem* <sup>Hil. de</sup>  
*sensibus nihil esse optabilius, quam volupta-* <sup>Trin. 1.</sup>  
*tibus in pace delectari, at hoc ipsum homi-*  
*nibus & brutis commune bonum esse, in-*  
*tellexi, hominis felicitatem in bono subli-*  
*miori esse constituendam, illudque partim*  
*in cognitione veritatis, & virtutis pos-*  
*sessione consistere judicavi. Cum vita*  
*præsens continuarum miseriarum catena*  
*sit, hanc ideo nobis Deum concessisse, mihi*  
*videbatur, ut in patientia, moderatione,*  
*mansuetudine exerceceremur, non vero, cum*  
*sit optimus, ut nobis eam rursus aufferen-*  
*do, miseriares efficeret. Ergo anima mea*  
*ardentissimo hunc Deum, omnis boni au-*  
*ctorem, cognoscendi desiderio accendeba-*  
*tur, nam eorum omnium, quæ gentiles de*  
*Divinitate docebant, falsitatem perspicue*  
*videbam, dum illam in varias Personas*  
*utriusque sexus dividunt, brutis attri-*  
*buunt, statuisque, & aliis rebus vita ca-*  
*rentibus; cognovi, unicum Deum esse pos-*  
*sibilem, eumque æternum, omnipotentem,*  
*immutabilem.*

*His cogitationibus occupatus, illa ver-* <sup>Exod. 3. 14.</sup>  
*ba in Libris Moysis cum admiratione le-*  
*gi: Ego sum, qui sum. Et in Isaia: Cæ-* <sup>Is. 66. 1.</sup>  
*lum Thronus meus est, & terra scabellum*

Xx 4 pedum



Sæculum IV. *pedum meorum. Et iterum: celos palmo*  
 A. C. 356. *ponderat, & digitis includit molem ter-*

*ra. Primo loquendi modo indicatur,*  
 Isa. 40. 12. *omnia Deo esse subjecta, secundo, nec Celos,*  
 Jer. 70. *& terra Deum comprehendi posse. Cognovi*  
*eum esse omnis pulchritudinis fontem, imo*  
*ipsam infinitam pulchritudinem, verbo,*  
*cognovi me credere oportere, Deum esse*  
*immensum. Sed necdum votorum meo-*  
*rum metam attigeram, optabam ulterius,*  
*ut pios, quibus afficiebar in Deum, affe-*  
*ctus, bonosque mores merces æterna (\*)*  
*exciperet; justum mihi videbatur deside-*  
*rium meum, at carnis meæ infirmitas, imo*  
*& Spiritus timere jubebant, cum SS. Evan-*  
*gelistarum scripta legenti plura promise-*  
*runt, quam unquam sperare ausus fuisset,*  
*præsertim Evangelii S. Joannis initium.*

His verbis S. Hilarius conversionis suæ  
 Fortun. vit. *principium refert. Uxorem habebat,*  
 l. 1. *filiamque nomine Apram, quæ ambæ*  
*ipsius exemplo Christo Nomen dede-*  
*runt. Adhuc Laicus sanctum vitæ in-*  
*stitutum tenebat, sollicite Judæos, hære-*  
*ticosque devitans. Ipsum ergo populus*  
*Pictaviensis in Episcopum postulavit una-*  
*nimi*

(\*) Ecce Antiqui Patres a S. Paulo edocti  
 vitam æternam vocabant Mercedem. At Mer-  
 ces esse nequit, ubi nulla merita sunt. Hodierni  
 Protestantes relicto S. Paulo Lutherum sequun-  
 tur, & aliter loquuntur.



nimi consensu; atque S. Maxentio, seu Sæculum IV.  
 Maixantio, S. Maximini Trevirensis fra- A. C. 356.  
 tri successisse creditur. S. Hilario in exi- ad Const. 3.  
 lium pulso, alius Episcopus non est sub- p. 306.  
 rogatus, sed suam ipse Ecclesiam per  
 Presbyteros regere non cessavit.

## §. XLIII.

*Acta violenter a Macedonio Constan-  
tinopolitano.*

Magnam Catholici persecutionem Con- *Sup. §. 8.*  
 stantinopoli patiebantur sub Mace- *Sozom. IV.*  
 donio Ariano Episcopo, cujus Regimen *c. 20. c. 27.*  
 sicut ab initio, ita & in progressu multis *Socr. II.*  
 per vim patratis foedatum est. Eleusium, *c. 38.*  
 & Marathonium egregios adjutores ha-  
 bebat. Iste posterior fuerat Numerarius,  
 id est, Præfecti Prætorii officialibus sti-  
 pendia numeraverat; ubi satis opum in  
 hoc munere sibi comparasse visus est, eo  
 abdicato, Nosocomiorum, in quibus  
 ægroti, aliique pauperes alebantur, Præ-  
 fecturam suscepit; tum Eustathii Episco-  
 pi Sebasteni suasu vitam asceticam am-  
 plexus, Monasterium Constantinopoli  
 fundavit; hujus Ecclesiæ Diaconus plu-  
 ribus virorum, mulierumque Monasteriis  
 præfuit, tandem a Macedonio ad Episco-  
 patum Nicomediensem promotus est.  
 Eleusius spectabili munere in aula antea  
 functus, a Macedonio Episcopus Cyzice-